

Lucas.

probauerunt edificantes. Iudei audientes supplicium significatum in parabola ipsis intelligendum. Malos male perdet. Dixerunt iuxta D. Lucam, abst. Christus vero Dominus supplicium eis euentum confirmat, ex citato loco Psalmi. Confertque se Dominus cum lapide, quem alicuius edificij structores, veluti inuilem, struuntque minime aptum, reprobauerunt, ac reiecerunt: qui tamen in alio excellentiore, ac pulchriore edificio in capite anguli, seu vt lapis capitalis collocatur. Sic Scribae, Pharisaei, ac Sacerdotes Iudaeorum tanquam structores, ac Architecti Synagogae, gentisque (Iudaicae hos autem, quos supra vocauit agricolas, nunc vocat edificatores, vt ait D. Hieronymus) Christum Dominum vt lapidem inutilem a se, ac gente sua reiecerunt, & damnando reprobauerunt, ac occiderunt; Hic tamen lapis a Iudeis reprobatus, praestantioris, ac excellentioris edificij; Ecclesiae scilicet factus est caput. Factus est in capite anguli. Factusque est vt summus lapis angularis, vt loquitur Apostolus ad Ephes. 2. num. 20. & omnino vt lapis fundamentalis totius Ecclesiae. 1. Corinth. 3. n. 11. Vt is summus lapis angularis, ac capitalis duos parietes gentium, & Iudaeorum in se velut in angulo iungeret, ac copularet, in eadem Ecclesiae domo, & structum. Ita D. Basilius, D. Chryostom. D. Augustin. Enthym. Cassiodor. Abulens. S. Thomas, Iansen. Maldonat. & alij.

Hieron. Ephes. 2. 1. Corinth. 2. Basil. Chryost. August. Euthym. Cassiodor. Abulens. D. Thom. Iansen. Maldonat.

75.

Ideo dico vobis. Conclusio totius parabola est, qua significat Dominus vineam a Iudeis esse auferendam, gentibusque dandam. Auferetur a vobis regnum Dei. D. Hieronymus per regnum intelligit sacram Scripturam. Tamen communiter Patres, D. Augustinus, Beda, Albertus Magnus, Rupertus veram Dei Ecclesiam, in ea regnat Deus in fidelibus per fidem, ac gratiam, eoque ducit ad ecclesiae regnum, vt in eis per gloriam regnet; & ait: auferetur a vobis; adhuc iudex regnum non aufert, sed minatur locum faciens poenitentiae. Vide cap. 21. n. 75. 76. & cap. 23. n. 37.

Hieron. August. Beda. Alb. Magn. Rupert.

76.

Dabitur genti. Recte ponderat Origenes homil. 19. in Matth. quod cum de Iudeis fuisset sermo. Dicitur. Locauit eam; tradidit nempe vineam ad certum tempus sub conditione excolendi eam, & ideo locauit eam Iudeis, nouerat Dominus eorum sterile ingenium, a quibus ob ingratitude non cito vinea erat auferenda; ac de gentibus dicitur. Dabitur genti, vt nunquam ab ea auferenda, sciebat enim perennem, ac perenniter vineam esse excolendam, magnosque fructus ab ipsa gente pronenturos. Dabitur genti, non gentibus, quia etsi multae sint nationes, omnes tamen sic coadunantur in Ecclesia, vt sit vna gens. Dabitur genti. Quod dicitur ad magnum tormentum Iudaeorum, vt aliena felicitate torqueantur; cum viderent regnum Dei a suis ereptum, & gentibus datum; deinde hoc est ad magnum documentum gentibus, vt in alieno capite videant, quo cauere debeant, vt non desidat, sed vinea agriculturae incumbant. D. Zeno lib. 2. serm. 24. Gaudete fratres ait, quod alienis plagis Dei discitis disciplinam.

Iudeis data fuit vinea ad tempus, gentibus in perennium.

D. Zeno.

QUESTIO XII.

Quare non exprimitur a quo regnum Dei sit ab eis auferendum?

77. Difficultas questionis.

IT Christus in praesenti. Auferetur a vobis regnum Dei. Quando fuit sermo de planta-

tione dicitur. Paterfamilias plantauit vineam, & sepe circumdedit, fodit rocular, & edificauit turrim. At vero cum de supplicio inferendo est sermo; dicitur: auferetur a vobis regnum Dei. Cur ergo sicut Paterfamilias introducit extruens vineam suam omnibus praeparamentis necessariis; cur etiam non dicitur, quod etiam ob malam agriculturam, ob malitiam, ac seuitiam inhabitantium, vineam suam auferet ab eis?

78.

Respondeo, quod quando de donis, ac beneficiis est sermo, ipse Dominus, vt eorum auctor, ac largitor clarè, & distinctè se manifestat, tanquam in re valde sua, at vero cum de peccatorum punitione agitur, auferetur a vobis regnum Dei. Persona Paterfamilias non declaratur, vt denotetur, quasi quod ipsa punitio sit opus alienum ab eo, & quod non tam ab ipso, quam potius ab eorum peccatis, ac nequitis proueniat, & nascatur: quod ex ipsamet parabola confirmo. Quando bonus paterfamilias plantauit vineam, nullum interrogat, cum nullòque facit consultationem, totum illud opus a sua benignitate manabat; at vero cum ex praescripto iustitiae ad damnandos agricolas deuenitur; Dominus circumstantes interrogat. Cum ergo Dominus vinea venerit, quid faciet agricolis illis? In damnatione promulganda benignissimus Dominus sententiam subtrahit, atque illismet proferendam commisit, vt argumentum cunctis esset, non a Domino, sed a seipsis damnari. D. Paschal. lib. 9. in Matth. Interrogat, ait, eos Dominus, non quod ignoret, quid responderi sint, sed vt ipsi propria responsione damnentur.

Deo largitur beneficia, homo vero sibi comparat supplicia.

Paschal.

79.

Ait Paulus Rom. 2. n. 6. Qui reddet unicuique secundum opera eius, his quidem, qui secundum patientiam boni operis gloriam, & honorem: is autem, qui sunt ex contentione, & qui non quiescunt veritati: credunt autem iniquitati, ira & indignatio. Cum de gloria, ac praemio est sermo, exprimit Apostolus; quod Dominus reddet unicuique secundum opera eius. Cum vero de poena ait: ira, & indignatio, a quo sit infligenda subtrahit. Quid est, quod magnus gentium Doctor, a legibus grammaticis aperte deflectere videatur; cum in nominatio casu ponatur: ira, & indignatio? Nam sicut dixerat gloriam, & honorem in accusatio, ita & in eodem casu iram, & indignationem scribendam esse astrictet Grammaticus. Artificiose sagacitate Apostolus voluit deuorare regulas syntaxis, vt ostenderet proprium, ac naturale Dei esse aeterna praemia, vitamque beatam largiri; non vero excaudescere, & poenis afficere: ideo cum de gloria, ac honore est sermo, ipsum Dominum, tanquam suam propriam personam agentem clarè, & distinctè enunciat. Dum autem de peccatorum punitione agitur, alia irae exercendae subintroducitur persona, ac si quodammodo id ad Deum non spectet, & vt significetur, quod huiusmodi poenae castigatio potius ab ipsis hominibus, quam a Deo proueniat. Photius apud Oecumenium. Considera, ait, quod dicit bona quidem reddet, & ultionem vero non reddet, sed illa reddetur, & ne hoc quidem expresse dixit, sed subintelligendum relinquit. sciens ei proprium esse quod iustum est saluare; porro ulcisci, ac punire prouenit a peccatorum obduratione, quod poenitere, ac conuerti nolint. Vide supra cap. 15. num. 26. & cap. 16. num. 28. & cap. 28. num. 38.

A Deo proueniunt beneficia, ab homine vero supplicia.

Photius.

QUESTIO

QUESTIO XIII.

Quare ad plantandam vineam multa referuntur, ad destruendum vero vnum tantum verbum proponitur?

80.

VM de extractione vineae agitur, quatuor assignantur in textu, & vnumquodque largam operationem dicit. Scribitur: Quod Paterfamilias plantauit vineam. Quod multum sudorem importat. Secundò sepe circumdedit. Quod magnam fatigationem cum longa operatione denotat. Tertio. Fodit in ea rocular. Quod cum magno labore fit. Quarto: edificauit turrim. Quod opus praeter multum laborem multos etiam operarios, artifices, architectos requirit, ecce tantus labor impensus vt via plantaretur, ac vt agricolis locaretur; At vero vt ipsi a vinea expellantur. Vnum tantum verbum ponitur, auferetur a vobis, sicut ad agricolas reducidos, vt fructus redderent, per longum temporis spatium misit seruos suos, vt explicant Beda, & Carthusian. Moysen, Aaronem, ac alios Prophetas, & Patriarchas per tot millia annorum, at vero ad ipsos agricolas puniendos, & occidendos trium dierum spatium Titus, & Vespasianus circumvallauerunt ciuitatem Ierusalem, vt testatur Iosephus lib. 6. cap. 7. & 13. & breuissimo tempore omnes peremerunt. Ad plantandum, ac edificandum multa requiruntur, ad destruendum, ac deaustandum pauca exiguntur: ad bonum, ac felicitatem multo molimine opus, ad malum, ac sinistram euentum pauca, ac minima sufficiunt.

Beda. Carthuf.

Iosephus.

81.

Cum filij Israelis essent conclusi inter mare rubrum, ac Pharaonis exercitum, insequentis eos, vt haberet iter per medium maris, ac vt aquae eis diuiderentur; factum est. Flante vento vehementi, & vrente tota nocte. Exod. 14. n. 21. At vt aquae reuertentur ad locum suum, quo subuersus est Pharae cum curribus suis, ad hoc Moyses manum eleuauit. Cumque extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluulo ad priorum locum: fugientibusque Aegyptiis occurrerunt aquae, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus. Ibidem. Quid est, quod vt aquae diuidantur iter praebentes Israel, adducitur a Domino ventus vehemens, & vrens tota nocte; At vero vt aquae in pristinum locum vniantur, vt omnes Aegyptij suffocati in profundum maris descendant, vna tantum ponitur manus Moyses eleuatio? Diuisio maris magnam felicitatem praebat Hebraeis, coniunctio vero aquarum sinistram, ac funebrem euentum importabat Aegyptiis, inde ad illud multa & vehementia requiruntur, ad hoc vero pauca, & leuia sufficiunt: felicitas, tota nocte consumpta, venit Hebraeis ad transitum maris, aduersitas vero, vt in aquis sepeliantur Aegyptij vno momento ruit. Venit quinquagenarius ad Parentem Eliam. Homicidis Rex praecepit, vt descendat. Quo audito respondit Elias Quinquagenario. Si homo Dei sum, descendat ignis de caelo, & deuoret te, & quinquaginta tuos: Descendit itaque ignis de caelo, & deuorauit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo. 4. Reg. 1. n. 10. Confer haec cum illis, quae eidem magno Eliae acciderunt, cum filio viduae, qui cum esset demortuus, tulit eum Elias de sinu matris suae, & portauit eum in suum cubiculum, & posuit eum super lectulam suam. Et expandit se, atque genuit super eum. Sylueira in Euang. Tom. 1. V.

Exod. 14.

82. 4. Reg. 1.

3. Reg. 17.

sus est super puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, & ait; Dominus Deus meus, reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius. 3. Reg. 17. num. 21. Bene notat, & probat ibi Abulensis. quae 31. Quod ibi fuerunt tres extensiones cum tribus orationibus. Grandis difficultas suboritur in praesenti; qualis sanè potestatis est, ignem de caelo deducere, ac vitam dare puero? Elias vno verbo facit ignem de caelo descendere ad deuorandum quinquaginta milites cum suo duce, semel, & iterum. Descendat ignis de caelo. At vero ad reuocandam animam in puero necessaria sunt multa verba, orationes, ac extensiones Prophetarum, quibus se commiserat, ac proportionauit cum puero per spatium fere trium horarum, vt multi volunt Rabbinum. Vnde tanta differentia? Vt quinquaginta cum suo duce flammis comburantur, ac in cineres redigantur, vnum sufficit verbum Prophetarum; At vero vt felicissimum vitam respiraculum vni tantum puero concedatur, multa verba, multiplicataeque orationes, instantiae, ac extensiones Prophetarum requiruntur; nam prima, & secunda oratione, prima, & secunda instantia, anima è vinculis mortis non soluitur; adhibenda ergo fuit tertia oratio, tertiaque instantia, vt puer resurgat in vitam, nam si vita vt maxime grata lento pede accedit, ignis celeri volatu descendit, vt tristem mortem inferat multis.

Abulens.

Lento pede venit vita, celeriter ignis vt consumat.

QUESTIO XIV.

Quare quae prius dicitur vinea, nunc vero regnum Dei nuncupatur?

IN principio huius parabola, cum eam proponit Scribis saepe mentionem facit de vinea. Paterfamilias plantauit vineam. iterum, Cum venerit Dominus vinea. Deinde, Vineam suam locabit aliis agricolis. At vero modò regnum Dei nuncupatur. Auferetur a vobis regnum Dei. Si vinea est, quomodo regnum dicitur?

83. Difficultas questionis.

Respondeo quod lex Dei, obseruatioque mandatorum eius non amanti vinea quaedam est, in qua desudatur, ac multum laboratur, at vero diligenti ipsamet lex regnum est, requies, gaudium, ac laetitia: ipse enim amor omnia reddit leuia, plana, ac facilia. Cum locatur Iudaeis duris, & obstinatis vinea eis erat ad laborem, ac fatigationem; cum vero datur genti feruenter amanti regnum Dei apparet, vbi requiescit, laetatur, ac epulatur.

84. Non amanti difficultas, diligenti suauitas.

Ad Christum Dominum loquitur Sponsa dicens: Fasciculus mirrae dilectus meus mihi. Cant. 1. n. 13. At vero alio loco ait: Vadam ad montem mirrae. Cantic. 4. n. 6. per myrrham mortem, ac mortificationem intelligi constans est Patrum sententia, quid est, quod ipsum appellat, fasciculum, deinde montem? Diuersitatem ostendit particula mihi: nam etsi aliis arduus, ac laboriosus vt mons in ascensu suo. Mihi vero qui eius amore vulnerata sum, sic suauis, ac praeiucundus, vt fasciculus. D. Bernardus serm. 43. in Cantic. sic ponderat. Non ait, tantum fasciculus mirrae dilectus meus, sed mihi, inquit, quae diligo, fasciculus est. Vnde & dilectum nominat, monstrans dilectionis vim omnium amaritudinum superare molestiam, quia fortis est vt mors dilectio.

85. Cant. c. 1. Cantic. 4.

Amor facit facilia, & leuia.

Bernard.



86. Apoc. 10.

Fidelibus, qui sunt in Ecclesia dabit Angelus librum ad comedendum. Accipe librum, & deuora illum, & faciet amaricari ventrem tuum, sed in ore tuo erit dulce, tanquam mel, Apocal. 10. num. 9. Maxime expendendum est, quod liber, vt dulcis, & amarus est dulcis ori, amarus vero ventri. Et cur dulcis in ore, amarus in ventre? Quenam tanta rei differentia? Per os significantur virtutis studiosi, ac Dei dilectores, quibus Dei eloquia dulciora super mel, & fauum: per ventrem significantur mentes hominum, qui terrena sapiunt, & qui ventri, ac gula indulgent; ecce iam tantus gustus diuersitas apparet, diuersus enim affectus saporem, ac dulcedinem generat, qui toto corde ad Deum fertur, in eius lege miram dulcedinem inuenit, qui vero, quae terrena sunt, diligit; amarissimos succos in praecipis fingit. D. Augustinus homil. 8. in Apocal. In ore, ait, intelliguntur boni, & spirituales Christiani, in ventre carnales, & luxuriosi. Inde est, quod cum verbum Dei praedicatur, tunc spiritualibus dulce est: carnalibus vero quorum secundum Apostolum, Deus venter est, amarum videtur, & asperum.

Dei eloquia amanti dulcia, non diligenti amara.

August.

Matth. 21. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum. Num. 24. Et cum audissent principes Sacerdotum, & Pharisei parabolas eius, cognouerunt, quod de ipsis diceret. Num. 45. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quoniam sicut Prophetam eum habebant.

VERSIONES.

D. Augustin. Et quicumque offenderit in lapidem illum conuassabitur: super quem vero venerit. Psal. 45. Super quem vero ceciderit, dissipabit eum. Luc. Burgens. Ventilabit eum. Syriac. n. 45. Cognouerunt, quod de se ipsis loqueretur. Vatabl. n. 46. Et quærentes illi manus iniicere, timuerunt multitudinem, quoniam tanquam Prophetam eum habebant. Euthymius. Et quærentes eum apprehendere. ALTER TEXTVS. Marc. 12. n. 12. Et quærebant eum tenere, & timuerunt turbam: cognouerunt enim, quoniam ad eos parabolam hanc dixerit.

Luc. 20. n. 18. Omnis, qui ceciderit super illum lapidem, conuassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum.

EXPOSITIO VI.

Qui ceciderit super lapidem istum. Lapidem intelligens de quo supra locutus fuerat, qui factus est in caput anguli, seipsum denotans Dominus, & dirigitur in praesenti sermo ad Iudæos, vt docent D. Augustinus lib. 1. quæst. Euangel. quæst. 30. D. Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, Abulensis, Iansenius, Maldonatus, Barradas, Cornelius; de his enim dixerat immediatè antea, auferetur à vobis regnum Dei. Qui ceciderit super lapidem istum. Id est qui offenderit in hunc lapidem, qui ruina, seu peccati causam ex hoc lapide, vt supra dixerat aliis verbis, qui scandalizatus fuerit in me, Matth. 11. num. 6. Vt vos o Scribæ, & Pharisei facitis. Confringetur, seu vt scribit D. Lucas, conuassabitur. Syriacus, dissipabit, vt explicat Carthusianus spirituali contractione, ac proinde perniciem, læsionem, ac contractionem in animo, & etiam in corpore, vt multi explicant, accipiet. Super quem vero ceciderit. Supplicio in hac vita per Imperatores Romanos, & in die iudicij per damnationem æternam. Conteret eum, sicut quando lapis grandis super testam cadit, eam in minutissima frusta comminuit, vt nullo modo reparari, ac redintegrari queat. Sicque hac parabola minatur Christus Scribis æternum, ac irreparabile excidium, damnationem scilicet gehennæ. Sic ait D. Augustinus citato loco: Cadet vero super vos, cum veniet in iudicium perditurus, vt sint impij tanquam puluis, quem proicit ventus. Cum audissent Principes Sacerdotum, & Pharisei. Manifestè intellexerunt ipsos in parabola esse depictos. Et valde mirum discipuli edocti in doctrina Christi dicebant: Edissere nobis parabolam, Matth. 24. num. 36. Vt verò Principes Sacerdotum, & Pharisei sub tot inuolucris parabolatum rem penetrant, & non postulant, vt eis exponatur, ac explicetur, mala quippe conscientia eorum eos seuerissime accusabat, illique parabolas interpretabatur, vt sub tot tegumentis verborum sensus non lateret.

87.

August. Chryso. Euthym. Theophyl. Abulens. Iansen. Maldon. Barrad. Cornel.

Carthul.

August.

88.

Conscientia accusat, & dat intelligentiam.



CAP. XLIV.

Nuptia filij regis.

Matth. 22. Et respondens Iesus dixit iterum in parabolis eis dicens. Num. 1. Simile est regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Num. 2. Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & volebant venire. Num. 3.

VER

VERSIONES.

Theophyl. n. 1. Dixit per parabolas. Vatabl. n. 2. Assimilatum est regnum cælorum. Syriacus. Assimilatur regnum cælorum filio regi, qui fecit conuiuium filio suo. D. Hieron. n. 3. Misit seruum suum. Pagninus. Et emisit seruos. Syriacus. Vocare inuitatos ad conuiuium.

EXPOSITIO I.

INVERSA est hæc parabola, ab eâ quam scribit Lucas cap. 14. de cena magna, vt sup. explicauit cap. 24. exposit. 1. num. 1. Valde tamen similis est, & omnia quæ ibi dixi, facile hic adaptari possunt, quæ videnda sunt. Respondens Iesus, non ad verba, sed ad intentionem eorum, vt ait D. Thomas: simile est regnum cælorum. Ecclesia nempe militans, quæ regnum cælorum dicitur, quia cælestem regem, cælestesque leges, ac scripturas habet; homini regi qui fecit nuptias filio suo. Homo Rex Deus Pater, filius regis, & sponsus Christus Iesus: fecit nuptias. Hæ nuptiæ factæ sunt primò. Quando diuinum Verbum assumpsit naturam humanam, & eamque sibi hypostaticè vnuit. Ita D. Gregorius homil. 38. in Euangel. Tunc, ait, Pater filio nuptias fecit, quando hunc in vtero Virginis humane naturæ coniunxit. D. Augustinus orat. contra Iudæ. Pagan. & Arianos, tom 6. cap. 9. Christus, ait, processit ex vtero Virginis, tanquam sponsus de thalamo suo. In quo vtero spirituales nuptiæ celebratae sunt, Deus coniunctus est carni, & caro adhesit Deo. Idem habet lib. quinquaginta homil. homil. 32. cap. 5. Idem habent hic Beda, Haymon, Albertus Magnus, D. Thomas, Secundo, Pater fecit nuptias filio suo, quando ei sociauit Ecclesiam, id est homines fideles, quasi sponsam mysticè ei despondit per gratiam: quæ quidem nuptiæ in cælo consummabuntur per gloriam. Ita Origenes, D. Hilarius, D. Hieronymus, Euthymius, & etiam D. Gregorius, Carthusianus, & alij. Tertio, Deus Pater Christo fecit nuptias, id est nuptiale conuiuium, quando in Iudæa, totoque mundo per Christum posuit mensam Euangelicæ doctrinæ, ac Sacramentorum, præcipuè lactæ Eucharistiæ. Ita Origenes, Chrysostomus in Imperfecto, D. Paschal. & alij.

Misit seruos suos. Qui vocarent ad has nuptias diuini Verbi Incarnati, ad quas ante ipsam Incarnationem fuerunt inuitati Iudæi per Moysen; & Prophetas; post verò ipsam Incarnationem vocati fuerunt per Ioannem Baptistam, per Apostolos, virosque Apostolicos, vt in Christum crederent, ab eoque reciperent gratiam, & gloriam. Ita D. Hieronymus, D. Paschasius, D. Gregorius, Misit seruos suos: in parabola D. Luc. 14. num. 17. dicitur: Misit seruum suum hora cænæ. At in praesenti nominantur plures serui. Euangelici enim ministri, qui ad cæleste conuiuium inuitant, plures sunt, & vnus. Plures, quia in diuersas mundi partes diuiduntur. Vnus verò, quia eodem doctrinæ vinculo colligantur. Ad nuptias, in quibus est gaudium, requies, & exultatio, vt ait D. Chrysostomus in Euang. Tom. IV.

I. Luc. 14.

D. Thom.

Gregor.

August. Pagnin.

Beda. Haymon. Alb. Magn. D. Thom.

3. Origenes. Hilar. Euthym. Gregor. Carthul. Chryso. Paschal.

4.

Hieron. Paschal. Gregor. Luc. 14. Vultus in ministris Euangelicis.

stomus homil. 70. Euthymius, Vocat ad nuptias, ait, tum propter desiderium, quod habebat ad Ecclesiam: tum propter ipsius Ecclesie gaudium. Tanto affectu desiderabat Christus sibi adunare Ecclesiam, hoc est omnes fideles, ac sponsus desiderat suas nuptias; in quibus magnum præuidebat gaudium Ecclesie. Nolebant venire. Quod præter regis, ac seruorum expectationem fuit. Non ad bellum, non ad crucem, sed ad nuptiarum solemniam vocantur. Et tamen noluerunt venire. D. Chrysostomus citatus homil. 70. Quid enim dementius, quam cum ad nuptias voceris, resistere? Nam quis in nuptias venire non optaret, & eas regis, quas amantissimo filio faceret?

Chryso. Euthym.

QUESTIO I.

Quare Christus Dominus proposuit hanc parabolam?

INIS, ac scopus parabola inquitur in praesenti. Respondent D. Hieronymus, Abulensis quæst. 1. dicunt quod in praesenti cap. in conclusione praecedentis parabola, dixerat Christus Dominus Iudæis, Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Hic adiungit, & explicat gentem, cui regnum Dei sit dandum, illi nempe, quæ erat extra populum, ac ciuitatem Israeliticam per exitus viarum.

Secundò, D. Chrysostomus homil. 70. Postquam ponit superiorem rationem de gente, cui dandum erat regnum; aliam assignat dicens: Neque id solum, ait, sed ineffabilem erga Iudæos curam ostendit: nam cum ibi ante crucem eos vocare videatur, hic etiam in vocando post mortem perseuerat. In superiori parabola ad agricolas vineæ delegauit seruos suos. Et tandem misit filium suum, dicens: verebuntur filium meum; & tamen ipsum comprehensum occiderunt, nunc verò adhuc post mortem filij sui, mittit ad eos seruos suos, qui vocarent eos ad cæleste conuiuium, in quo maximè declarauit suam immensam bonitatem, cum post iniurias, ac mortem filij sui, adhuc à beneficiis non destitit.

Et vocat non ad quodlibet beneficium, sed ad excellentissimum, ad desponsationem nempe animæ cum Deo, quod tam magnum est, vt vix pro nostra tenuitate credi videatur. Ait Angelus Ioanni in Apocalypsi 19. num. 9. Scribe, beati, qui ad cenam nuptiarum agni vocati sunt, & statim subiungit; Hæc verba Dei vera sunt. Omnia quæ in Apocalypsi scripta sunt, verissima esse nullus dubitat, ad quid cum Angelus agit de his, qui vocati sunt ad nuptias agni: Addit ea vera esse? Tanta est enim dignitas, tamque excelsa prærogatiua, vilissimam humanam creaturam vocari ad desponsationem cum Deo, vt Angelus hæc dicens, veluti vereatur sibi fidem non esse adhibendam; ideo pro maiori munimine ex Dei parte denunciat verba esse vera: D. Bernard. Vt citius, & firmiter, ait, credamur a nobis, & in maiori autoritate habeantur, non sua, sed Dei verba, quæ dixit, protestatus est esse vera.

3. Hieron. Abulens.

6. Chryso.

Summa charitas post iniurias à beneficiis non destitit.

7.

Apoc. 19.

Sublimis prærogatiua cui Deo desponsari.

Bernard.

XXX;

QVA